



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

De Clerico Excommvnicato, Deposito, Vel Interdicto Ministrante. Titvlvs
XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

Ex Concilio Aurelianen.

Epis copum a, Presbyterum aut Diaconum, canes aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate saepius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus a communione: si Presbyter, duobus: si Diaconus ab omni officio suspendatur.

CAP. II.

Summatim est super capitulo proximo.

Ex eodem.

Omnes servus Dei, venationes & sylvaticas vagationes cum canibus, & accipitres aut falcones habere interdicimus.

DE CLERICO PERCVSSORE.

TITVLVS XXV.

CAP. I.

Clericus saepe alium percussit, & monitus non desistens, deponendus est.

Ex Concilio Agathen. b

Si quis aliquo gradu [sacro] percussor extiterit, corripatur a crimine: & si non emendaverit, deponatur.

CAP. II.

Duobus mensibus a missarum administratione suspenditur Episcopus, qui crudeliter aliquem sustigari fecit.

Gregorius Tarentino Episcopo.

Praeterea quoniam mulierem propter delictum suum contra ordinem sacerdotii caedi crudeliter sustibus deputasti. Quam licet exinde (cum post octo menses decellerit) minime arbitramur fuisse defunctam: Tamen quia ad ordinem tuum noluisse habere respectum, duobus te mensibus ab administratione missarum statuimus abstinere.

CAP. III.

Non puniatur clericus ut homicida, si fuit ipse in conspectu pro parte violentiam repellentium, licet ibi aliqui mortui sint, & ipse lapides projecit, ex quo nullum ipse percussit.

Alexander III. Lucen. Episcopo.

Praesentium e lator, in quodam conspectu adferit & fuisse, pro parte tamen illorum, qui violentiam repellant: in quo lapides ipse projecit, sed aliquem non percussit. Quem nos (quia per alios illic aliqui dicuntur occisi) a celebratione missarum per biennium praecipimus abstinere. Mandamus itaque, ut si alia non impedierit, decurso hujusmodi temporis spacio, ad sui officii executionem eum admittas.

CAP. IV.

Clericus, qui fuit in conspectu, ubi aliqui fuerant occisi, sine eius facto vel consilio, de iure communi promovetur potest. h. d. secundum intellectum, qui plus placet Panorm.

Celestinus III.

Continentia d literarum: [1 & 7.] Cum P. acolythus cum quibusdam ad resistendum praedonibus arma sumpserit, in conspectu illo tres fuerunt ab aliis vulnerati ad mortem, ita tamen, quod illa homicidia neque facto eius neque consilio perpetrata fuerunt: & infra. Consul. t. r. quod cum praedictum acolytham ad frugem melioris vitae transivisse dicatis, poterit ipse ad subdiaconatus ordinem promoveri, & altaris ministerium exercere.

[1 Vestrarum inspecta, qua significasti nobis quod.]

a C. i. eod. tit. in 1. comp. b addi potest ca 3 ut refert Bure. l. 2. Decr. c. 170. & lvo p. 6 c. 231. sed in eo consilio nondum repertum est. c C. 3. eod. tit. in 1. comp. & post conc. Lat. p. 20. c. 11. d C. 1. De cler. perc. in 2. comp.

DE MALEDICTIS. a

TITVLVS XXVI.

CAP. I.

Maledicens Papa puniendus est, ut alii deinceps deterrantur, & ipse arceatur.

Clemens III.

Innotuit b nobis: & infra. Quia nobis per literas retulisti, quod cum I. clericis multis coram adstantibus verba quaedam in depressionem officii & beneficii nostri protulit, ipsum a temeritate sua compescas. Vt poena illius aliis terrorem incuriat, ne de cetero contra Rom. eccl. in talia verba prorumpant.

CAP. II.

Iste ponitur poena blasphemantis Deum, vel aliquem sanctum, & maxime virginem gloriosissimam.

Gregorius IX.

Statuimus c, ut si quis contra Deum vel aliquem sanctorum suorum, & maxime beatam virginem, linguam in blasphemiam publice relaxare praesumpserit per Episcopum suum poena subdatur inferius adnotata videlicet, quod in septem diebus dominicis per totam ecclesiam in manifesto (dam aguntur missarum solennia) blasphemus existens, ultimo illorum die dominico pallium & calcamenta non habeat, ligatus coram collum, septemque d praecedentibus sextis feriis in pane & aqua jejunet, ecclesiam nullatenus ingressus. Quolibet quoque praedictorum dierum tres sumpserit, & hinc duo reficiat pauperes, sive unum. Et hoc ad hoc eius suppetant facultates, id in poenam aliam commutetur, cui etiam si renuerit recipere ac peregere penitentiam supra dictam, ecclesiae interdicatur ingressus & in obitu ecclesiastica careat sepultura. Per temporalem praeterea potestatem coactione (si necesse fuerit) Episcopi diei: adhibita contra eum, blasphemus si dies fuerit, quadraginta solidorum, alioquin triginta, sive viginti: & si ad id non sufficiat, quinque solidorum usualis moneta poena mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus, quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur.

DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO,

TO, VEL INTERDICTO MINISTRANTE.

TITVLVS XXVII.

CAP. I.

Clericus depositus celebrans, excommunicatur.

Ex canone Apostolorum.

Si quis Episcopus, Presbyter vel Diaconus depositus iuste pro certis criminibus ausus fuerit adrectare ministerium sibi dudum commissum, hic ab ecclesia abscindatur.

CAP. II.

Degradatus vel suspensus celebrans, & monitus non desistens, excommunicatur: & si nec sic desistat, pro seculari exilio damnatur.

Ex concilio Antiochen.

Si quis f Presbyter aut alius clericus fuerit degradatus, aut ab officio pro certis criminibus suspensus, & ipse per contemptum & superbiam aliquid de ministerio sibi interdico agere praesumpserit, & postea ab Episcopo suo correptus, in incepta praesumptus.

a In Cod. Barb. & altero manuscr. Vaticana ita: De clericis maledicto. b Ca. un. eod. tit. de cleric. maled. in 2. comp. c Vob. Bernard. Diaz. in praef. crim. c. 103. Alter. de ag. affere. quall. 20. d Al. septem praecedentibus sex feriis vel subsopuenerit. in pane, & c. e. Dicitur, depositus, deest in aliquo autiq. f Cap. 2. eod. tit. in 1. comp. per

ne perduraverit, modis omnibus excommunicetur a: & quicunque cum eo communicaverit, similiter se sciat esse excommunicatum. Similiter de clericis, laicis, vel foeminis excommunicatis observandum est. Quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus minime e-mendare poterit, Regis iudicio ad requisitionem ecclesie exilio damnetur.

CAP. III.

Interdictus & excommunicatus celebrans, monitus non desistens, deponitur.

Alexander III. Londonen Episcopo.

Clerici b autem, si quis a suis, aut etiam de mandato Romani Pontificis ab alienis Episcopis interdicti vel excommunicati ante absolutionem divina officia celebraverint, nisi moniti sine dilatione redierint, perpetua depositionis sententiam, pro ausu tantz temeritatis incurant.

CAP. IV.

Excommunicati vel interdicti celebrantes deponi debent, nisi propter multitudinem mitigetur papa.

Idem Tolitano Archiepiscopo.

Atores c presentium nobis inmarunt, quod tam ipsi, quam multi alii postquam interdicti vel excommunicati fuerint, divina presumpserint officia celebrare: [1 & 7.] Fraternitati tuae mandamus, quatenus si lx. solummodo vel pauciores in his deliquisse constiterint, omnes in perpetuum ab officio sacerdotali deponas. Si vero multitudinem magnam in hoc peccasse cognoveris, eos, quos magis causam delicti esse constiterit, perpetua depositione condemnes, & alios, qui non tantum deliquerint, ab officio ad tempus suspendas, & omnibus poenitentiam secundum discretionem tibi a Dno datam injungas.

[1 Quoniam vero magnam cum eis multitudinem in hoc peccasse debeant, nec nobis qui coram magis vel minus deliquerit, innotescere poterit, negotium tua discretionis arbitrio duximus remittendum.]

CAP. V.

Stibahens notitiam excommunicationis, per solam samam celebrat, debet de rigore deponi, licet cum eo post misericorditer dispensari, b. d. & est casus notabilis.

Innocentius III. Herbipolen. capitulo.

Illud d Dominus in beato Petro: & infra. Venerabilis fra. no. quondam Hildesemen. Episcopus licentia non solum non obtenta, sed nec etiam postulata (ecclesia Hildesemen. relicta) Herbipolen. ecclesiam occupavit: & infra. Vnde Magdeburgen. Episcopo e dedimus in mandatis, ut (cum factum ipsum non posset in partibus illis non esse notorium) nisi dictus Episcopus intra xx. dies ab Herbipolen. ecclesie administratione cessaret, eum excommunicatum publice nunciaret. quod idem Magdeburgen. studuit adimplere: & infra. Ipse vero Episcopus, in nostra postmodum presentia constitutus, etiam suam recognosceret: & confiteretur excessum, & non iudicium, sed misericordiam postularet: hoc tamen inter alia in sua excusatione proposuit, quod cum dictus Magdeburgen. non esset ordinarius iudex ejus, non crederet, quod monitione non premissa auctoritate delegata posset procedere contra ipsum, aut sententiam in eum aliquam promulgare. Vnde cum nec ante factum monitorias, nec post

a Vid. l. 1. c. de superex. l. 10. & l. Papinianus. s. meminisse. ff. de inoff. test. b C. 3. eod. tit. in 1. comp. & post. conc. Lat. 3. sub. Alex. III. p. 26. c. 10. c C. 4. eod. tit. in 3. comp. & post. conc. Lat. p. 59. e. 57. d. l. Bern. Diaz. in pract. crim. can. e. 28. d C. eod. tit. in 3. comp. Alia pars huius decreti, est in c. illud Dominus. sup. de major. & obid. e In vet. comp. legitur Archiepiscopo: sed in Gregoriana legitur, Episcopo.

litteras ab eo aliquas accepisset, peccare non credit, si divina officia quantumcunque solenniter celebravit, presertim cum ei non nisi per famam de sententia contra eum prolata constaret: [1 & 7.] Licet autem in hoc non videatur omnino culpabilis exiisse: quia tamen in dubiis via est eligenda tutior, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam sacramenta ecclesiastica pertractare. Illud autem quod sub spe venie divina sibi fecit (postquam se a nobis excommunicatum noverat) celebrari, & communioni fidelium ingessit se, potius contra eum facere credimus, quam pro eo, cum sub fiducia poenitentia non debuerat deliquisse, & excommunicatum non vitare, multo magis, quam non a vitari periculolum existat: non vitare siquidem, cum in eo sit, excommunicatus sine delicto non potest: sed cum ex aliis pendeat, sine suo delicto poterit non vitari: & infra. Cum eo misericordiam facientes, poenam, quam canon minatur his, qui post excommunicationem divina presumpserint officia celebrare, vel se celebrationi ingesserint divinorum, ei non duximus infligendam.

[1 Quod autem postquam se noverit excommunicatum, a nobis venia divina sibi fecit officia celebrari, & fidelium communioni ingessit se frequenter, id non in contemptum sed. Apost. vel etiam tanti sacramenti, sed sub spe venie asserit se fecisse, ne videlicet indurasset amplius, & in divinis eius animus diutius preterviret, vel prosterneretur, si nunquam divinis officii interesset: licet in diebus solennibus se nunquam celebrationi divinorum ingesserit, & cum paucis in angulo alienius ecclesie occulte non festivi diebus divina sibi fecerit interdum officia celebrari.]

CAP. VI.

Excommunicatus celebrans, a beneficio deponitur.

Idem Bisunum Archiepiscopo.

Fraternitati b tua: & infra. Presbyteros autem & alios clericos, qui pro suis excessibus, a te nexibus anathematis canonice innodati presumpserunt vel presumpserunt officia celebrare divina, rationabiliter poteris omnibus beneficiis ecclesiasticis spoliare.

CAP. VII.

Collatio beneficii excommunicato facta non tenet, & scienter talibus conferens, a beneficio cum collatione suspenditur.

Idem Decano & priori Colonia.

Postulatis c per sedem Apost. edoceri: & inf. Consul. vestra respon. quod cum excommunicatis communicare non debeat: & clericis excommunicationis vinculo innodatis, ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea retinere licite, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cum ea non fuerint canonice consecuti. Illi vero, qui scienter illa beneficia talibus contulerunt, tamdiu debent a beneficio collatione suspendi, donec super hoc veniam consequi mereantur, ut puniantur in hoc, in quo delinquere presumpserunt.

Celebrans in loco interdicto si est clericus secularis, beneficiis privatur: si monachus, in archiepis monasterium detruditur. b. d.

Quatuor d preterea qualiter puniri debeant clerici, monachi vel moniales ecclesiarum conventualium, qui post latam interdicti sententiam in locis suppositis interdicto presumpserunt hactenus, & adhuc etiam non verentur divina officia celebrare, quamvis propter hoc sint excommunicationis vinculo innodati. Ad hoc breviter respondemus, quod clerici, qui talia presumpserunt, sunt ecclesiasticis beneficiis spoliandi: monachi vero vel moniales in archiepiscopis monasteriis ad peragendam poenitentiam detrudendi.

a Vid. Navarrum in Manuali de iuris Canon. c. 2. e. 14. inter ambos. b C. 2. eod. tit. in 3. comp. Bernard. in pract. crim. can. e. 28. c C. 3. eod. tit. in 3. comp. d Vide qua sunt sancta. e. in qu. 5. ut verò. & ca. ult. de sent. excom. in 6.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAP. VIII.

Valet collatio beneficii et facta, qui prius fuit excommunicatus, sed absolutus tempore collationis.

Idem Decano & Subdiacono a Pellavon. & magistro P. cano. Petragoricen.

Proposuit *b* coram nobis magister P. clericus Episcopi Tusculanen. quod G. sanctæ Mariæ in porticu Diacon. Cardin. in partibus illis Apost. sed. legationis fungente officio: quidam de Lemovicinio ei humiliter supplicarunt, ut eorum ecclesiam, quæ debito fraudabatur clericorum servitio, ordinaret: pro se ac magistro eodem precibus specialiter porrigentes. Ipse verò Lemovicen. civitatem ingressus, canonicos monuit, ut illos reciperent in socios & in fratres: maxime cum præbendâ v. vel iv. ab ultima ipsius ecclesiæ ordinatione vacassent: quibus post petitis & concessas deliberationis inducias non curantibus respondere, de præbenda Lemovicen. Cardin. prædictus eosdem clericos investivit: [1 & 7.] Cum autem dictus magister & Lemovicen. poenitentiaris in nostra fuissent præsentia constituti, & acta iudicii inspici fecerimus diligenter, per poenitentiaris testes intelleximus, quod Lemovicen. Episcopus pluribus annis antequam idem magister investitus fuerit, clericos Burgen. castri Lemovicen. & eundem P. nominatim (quem eorum dicebant consiliarium & fautorem) vinculo excommunicationis astrinxit. Per testes verò magistri P. probatur, quod est dictus Episcopus in Burgen. & eorum fautores tam clericos, quam laicos Lemovicen. excommunicationis sententiam protulisset, eos tamen per tres annos absolvit antequam dictus magister fuit investitus: [2 & 7.] Et quia idem Episcopus dicto magistro communicavit postea in ecclesia & in mensa: [3 & 7.] Quia verò sapè dictum magistrum investituræ suæ tempore à præfato Episcopo extrisse excommunicatum dictus poenitentiaris (sicut obtulerat) non probavit, cum ex adverso de absolutione & communiione dicti Episcopi fuerit facta fides: quod per dictum legatum de memorato magistro factum est, per definitivam sententiam duximus approbandam.

[1 Si verò probaret ipsum excommunicatum tunc temporis extitisse, non postponens, quod de ipsi factum fuerat, revocare, qui mandatum ap. sed. exsequentes utriusq. partis confessionibus & allegationibus intellectis, eandem causam sufficienter instruatam, ad nostrum remisissent examen.]

[2 Quibusdam Presbyteris usq. ad certum tempus in excommunicatione retentis, qui contra sententiam interditi præsumptuè celebrare.]

[3 Hic regitur qua utraq. parti proposuit intellectui.]

CAP. IX.

Suspensus vel excommunicatus ignoranter celebrando nulla indiget dispensationis respectu irregularitatis, aliâ scilicet.

Gregorius IX. l. i. & l. canonicis Pragensibus. c.

Apostolica sed. & infra. Verum quia tempore suspensionis ignari celebratis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Ceterum si forè ignorantia crafta & supina aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate Apostol. indulgemus.

CAP. X.

Excommunicatus minori celebrari non est irregularis, sed peccat, & potest eligere, & ea, que sunt jurisdictionis exercere, licet non eligi: & si confert sacramenta, licet peccet, tamen collatio tenet, & suam habet effectum.

a Al. Subdecano. b C. un. eod. tit. in 4. comp. c Hic titul. ex manuscr. restitutus est: vulgati dissentiant. al. ita: Gregor. IX. l. i. & A. canon. Pragen.

Idem.

Si celebrat a minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, que ratione jurisdictionis sibi competunt, exercere. Si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irrita, pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione sanctis patribus est privatus. Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta: sed ab eo collata, virtutis non caret effectu, cum non videatur à collatione, sed participatione sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remorsus. Dummodo non in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra prohibitionem superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter se ingererit: in quo casu est anathemate feriendus.

DE CLERICO 6 NON ORDINATO
MINISTRANTE.

TITVLVS XXVIII.

CAP. I.

Clericus ministrans in penitentibus ad ordinem, quem non habet, deponendus est, & amplius non ordinandus.

Hormisdâ Papâ. c.

Si quis d. baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem obijciatur de ecclesia, & nunquam ordinetur.

CAP. II.

Diaconus missam celebrans ad sacerdotium non promovetur: & à diaconatu suspenditur ad tempus: sed in beneficiis poterit ad tempus dispensari.

Urbanus III. Legim. e. Episcopo.

Ex literis *f* fraternitatis innotuit nobis, quod T. Diaconus cum non impossibilis ei manum, missarum celebrationem usurpare præsumpsit: [1 & 7.] Consultationi tuæ taliter respondemus, quod ad sacerdotis officium non poterit promoveri: à diaconatu quoque benedictione vel triennio pro tua maneat provisione suspendus. De beneficio autem misericorditer agatur cum eo: ad sustentationem privatus, ad seculi negotia revertatur. Ut autem securius ei possis hanc misericordiam facere, agenda poenitentia diligentem & circa eum curam non desinas exhibere: salubrius autem sibi absque dolo providebit, si ad regularem vitam se duxerit revertendum.

[1 Postmodum verò Demmo aspirante, rediit ad seipsum & proprium cognoscens excessum, in tanto sibi periculo consilio, licet postularit: quia igitur super hoc tua nos duxerit, f. consilium, literis præsentibus.]

DE CLERICO PER SALTVM
PROMOTO.

TITVLVS XXIX.

CAP. I.

Qui ignoranter per saltum de Subdiacono fit Presbyter, post poenitentiam in Diaconum ordinatur, & postea poterit secum in sacerdotio dispensari.

a Vide Lovarr. in c. alma mater. de sent. ex. l. 6. & 1. Theobaldos 4. sent. dist. 11. & seq. & summissus, verbo excommunicatus. b In 2. manuscr. de non ordinato ministrante. c al. Hincius. d C. i. eod. tit. in 1. comp. vide Bern. Diaz. in præd. crim. can. c. 11. e Legien. al. Lingen. f C. i. eod. tit. in 1. comp. & post concil. Lat. sub Alex. III. p. 10. a. 62. g diligenter. Inno.